

NUNTIUS LEONINUS

**PERIODICUM LATINUM QUOD SEMEL IN MENSE EDITUR
A MINISTRATIONE INTERRETIALI //www.leolatinus.com**

SECUNDUS

m.Dec./2004



EPISTULA SALUTATORIA

Cara Lectrix, Care Lector,

anno bis millesimo quarto (MMIV) exeunte in lucem êditus est NUNTIUS LEONINUS **secundus**. Bene speramus alterum quoque Nuntium tibi utilem fore atque iucundum. Nam delectare volumus atque docere.

Etiam hîc in Nuntio tractamus discos compactos a nobis êditos et scientias naturales et translationes.

In discis êdendîs etiam hîc mense rapidê progressi sumus: contigit enim, ut alteram hexadem discorum êderêmus; quorum tituli sunt: „Sudatorium Veneris“, „Periculum Francisci“, „Nuptiae Abderitanae“, „Testamentum Reyneri Berlbyn“, „De vitâ Sancti Nicolai deque Viro natalicio“, „Grimmianae fabellae pueriles et domesticae (I)“. Habemus nunc iam discorum dodecadem; semper id curamus, ut tibi praebeamus textuum bonitatem et varietatem quam maximam. Gratissimum nobis feceris, cara lectrix, care lector, si nobis scripseris, qui textûs nusquam êditi optas, ut a LEONE LATINO êdantur, quos textûs vernaculos legere velis in Latinum conversos, qualia lexica Latina tibi sint in votis. Cum complures lectores optavissent, ut a Leone acciperent libros audibiles, idem animum induxit tales discos compactos fabricare. Te rogamus, ut paulisper exspectes.

Studiola nostra critica ad carmen Aetnae spectantia hîc in Nuntio unam tantum paginam complectuntur; sed haec pagella insignis est symbolâ cuiusdam lectoris. Utinam fiat in periodico nostro commercium epistolarum philologum quam fecundissimum!

Iterum provinciam naturalium scientiarum perlustrantes tractamus tria proposita, quibus legentes moveantur et doceantur: leontologiâ agimus de animali nostro insigni: describimus enim LEO qualis sit et quomodo vivat. Porro tibi referimus de sceleto cuiusdam simiii nuperrime in Catalauniâ invento, quo appareat, quomodo evolutus sit homo e simio. Cum omne trinum bonum sit, habemus etiam tertium naturalium scientiarum tractatiunculam: quâ agitur de dioxînîs substantiîs fatalibus, quibus Victor Iuščenco Ucrainianus politicianis factionis gubernantibus adversae imbutus esse videtur.

Eximiê vobis commendo verba *Horatii Antonii Bolognae* viri Vaticani poetae Latinissimi et redactoris extraordinarii, qui annuntiat Certamen Capitolinum.

Denique hic Nuntius continet nonnullas epistulas lectorum, quales nobis sunt gratissimae. Nam sententia lectorum nobis semper cordi est.

Haec habuimus, quae tibi annuntiarem de argumentis **NUNTII LEONINI SECUNDI**. Quo nuntio Latinissimo, cara Lectrix, care Lector ut fruaris summo cum gaudio, intimo ex animo tibi exoptamus. Necnon te rogamus, ut nobis pergas favere.

Medullitus te salutat LEO LATINUS.



ARGUMENTA NUNTII LEONINI SECUNDI

1. ECCE IAM ALTERAM HEXADEM DISCORUM ESSE EDITAM !	4-10
Brevi ante Natale Domini sex discos compactos editos esse: Sudatorium Veneris - Periculum Francisci - Nuptiae Abderitanae – Testamentum Reyneri Berlbyn – De Sancto Nicolao deque Viro natalicio – Grimmianae fabellae pueriles et domesticae (I)	
2. ARS CRITICA	11
De Aetna carmine aenigmatico (II): lapsus correctus, nova coniectura proposita.	
3. SCIENTIAE NATURALES	
3.1 En aspice Rêgem Bestiarum : Babae- quanta vis, quanta formositas, quanta maiestas!	
Leontologia: Leones quales sint et quomodo vivant	12-18
3.2 Num <i>Pierola-pithêcus catalaunicus</i> fuit ens simiae et homini interpositum?	
Homo quomodo evolutus sit ex simiâ, nunc investigatur in Catalauniâ	19
3.3 Ucraina Macchiavelliana: De Victoris Juščenkonis cenâ infernali.	
Quid est „dioxinum“? Studiolum toxicologicum.	20-24
4. TRANSLATIONES	25-26
Somni soror, i.e. <i>Schlafes Bruder</i> (II).	
5. CERTAMEN IULIANUM: SCRIBATIS LATINE! PRAEMIA PRAEBENTUR!	27-28
6. ECHUS VOCES EPISTULAE	29-33

VOTA IN NATALE DOMINI ET ANNUM INEUNTEM OBLATA



1. ECCE IAM ALTERAM HEXADEM DISCORUM ESSE EDITAM !

OBLATIO NATALICIA

Brevi ante Natale Domini sex discos compactos editos esse:

De Sancto Nicolao deque Viro natalicio – Nuptiae Abderitanae – Sudatorium Veneris –
Periculum Francisci - Testamentum Reyneri – Grimmianae fabellae pueriles et domesticae (I)

!!!QUI OMNES SIBI MANDAVERIT, DISCUM NICOLAI GRATIS ACCIPIET!!!

In sede interretiali, cui nomen est LEO LATINUS, ex illo tempore, quo primus NUNTIUS LATINUS in lucem erat editus, interim composita est altera hexas discorum compactorum. Quae complectitur haec opuscula singularia et Latinissima, quae sequuntur:


1.1 „SUDATORIUM VENERIS“ & „PERICULUM FRANCISCI“ A DIOGENE ANAEDOEI CONSCRIPTA

In lucem edidimus duas fabulas *Diogenis Anaedoei* ("PERICULUM FRANCISCI" et "SUDATORIUM VENERIS"), auctoris neolatini obscuri atque aenigmatici, quem saeculo undevicesimo floruisse opinor (nam et viam ferratam, id est ferriviam, et bacillos tabacinos, id est sigarella, commemorat). Non divinabis, cara Lectrix, care Lector, ubi invenerim duas has fabulas Diogenis: eadem litteris vacillantibus manu inscriptae erant paginis veteri editioni Epigrammatum Martialis alligatis, quae in quodam palaeobibliopolio Heidelbergensi sepulta erat sub monte librorum detritorum pulverulento. De auctoris ortu et vitâ nihil certi invenire potui; vix audeo lectori affirmare auctorem fuisse compatriotam Aloiseae Sigeae; sed eundem „Arcana Amoris et Veneris“ ab illâ sorore piâ Hispanâ composita religiosissimè atque studiosissimè perlustrasse evidenter apparet. Quia „Periculum Francisci“ et „Sudatorium Veneris“ lasciviora sunt, quam ut publicentur in commentariis *Melissae* aut *Vocis Latinae* aut *Latinitatis*, Diogenes per plus quindecim annos remansit et quievit in chartophylacio meo, mecum iter fecit usque in Coream necnon me comitatus est in patriam redeuntem. Nunc autem, cum coepissemus discos textuales praeparare a Leone Latino vendendos, tandem ausus sum Diogeni dare libertatem loquendi. Qui profecto scribit stupendâ cum libertate; eius sermo est mirandae levitatis et vivacitatis. Quod attinet ad res ipsas ab eodem descriptas, me monet aliquatenus Horatii, qui dicit se esse *porcum de grege Epicuri* et a Suetonio fertur in cubiculo suo specula statuisset, ut se ipsum coeuntem aspectaret (cfr Q. Horati Flacci opera, tertium recognovit Fridericus Klingner, Lipsiae in Aedibus B.G. Teubneri MCMLIX, p.3*, lin.15-17: *Ad res venereas intemperantior traditur; nam specula toto cubiculo dicitur habuisse disposita, ut quocumque respexisset sibi imago coitûs referretur...* Apud Anaedoeum nihil invêni Ciceronianum, virtutes et cardinales et



secundarias in fabulis istius dolenter desidero, iste Epicurêus vulgaris non solum voluptatis praestantiae in horto doctae nimiam vim attribuit, sed etiam omnino ignorare videtur TO ΠΡΕΠΟΝ et TO ΚΑΘΗΚΟΝ. Neque de virtutibus neque de officiis agit; vêrê dignus esse videtur cognomine suo, q.e. "An-aedoeus", id est 'impudîcus' (qualis etiam fertur fuisse ille philosophus eiusdem nominis in dolio habitans, coram publico Thalassionem manibus indicens libidinosus, hanc actionem contra ac comesionem gratis fieri praedicans). At personae ab Anaedoeo descriptae cum sint tantae agilitatis, ne umquam lector vexetur molestiâ temporis, et sint felici quadam levitate agendi et loquendi insignes, eundem auctorem prosaicum legentes iterum monemur Horatii, qui dicat *dulce esse desipere in loco*. Cum propter sermonem vividê Latinum, tum propter consensum, immo summam delectationem personarum fabulae participum (quas omnes adultas esse clarê patet) necnon propter violentiam prorsus ommissam licet ignoscamus Diogeni *ad res venereas intemperantiori* mirandam audaciam, qua revêlet vêlanda et tacenda eloquâtur. Ceterum vehementer stupemus, idem Diogenes quantâ peritiâ sit Plauti et Petronii et Martialis Carminumque Priapeorum (quam subtili sit Aloisiae Sigeae scientiâ iam scis).

"PERICULUM FRANCISCI" constat 7,90 € (i.e. septem euronibus et nonaginta centesimis), "SUDATORIUM VENERIS" constat 9,50 € (i.e. novem euronibus et quinquaginta centesimis). Non possum, quin lectrici lectorive commendem etiam cistellas, quibus hi disci impositi sunt: quorum in unâ est illustrissima illa pictura Botticelliana, quâ appareat Venus quomodo nascatur, in alterâ cistellâ est imago quaedam satyri et nymphae parieti Pompeiano impicta.




11 paginae

datotheca pdf

numerus mandatelae: 00704

9,50 euronones



7 paginae

datotheca pdf

numerus mandatelae: 00804

7,90 euronones

1.2 NUPTIAE ABDERITANAE

Comoedia Bertolti Brecht a.1919 scripta, a Nicolao Groß in sermonem Latinum conversa. Personae in hac fabulâ theatricâ iocosâ et perquam ironicâ se reverâ gerunt more Abderitarum. Quae comoedia nequaquam (ut fabulae Brechtii posteriores) spectat ad ideologiam socialismi, sed est plena scaenarum ridicularum,



quibus describantur Abderitarum vitia, quales sunt morum rusticitas et insulsitas, pusillanimitas, gloriatio, vanitas, dissimulatio, invidia, malevolentia.

Pater sponsae non desinit narrare fabellas tam insulas et taediosas, ut convivas privet appetitu ciborum (sibi non temperat, quin coram cenantibus loquatur de vomitu morbisque taeterrimis). Tamen se habet pro narratore ingenioso et valdê lamentatur sermonem suum interrumpi.

Sponsa complures res fert aegerrimê: - quod pater narrat fabulas insulas, - quod sponsus primo saltat cum quâdam muliere, quae est omnium abderitarum curiosissima et malevolentissima, - quod amicus sponsi cantat canticum lascivum („carmen castitatis epico-lyricum“), - quod soror sua cum inquilinorum filio Iohanne Mildnero rationem inquit amatoriam, - quod mulier illa malevola immisericorditer eloquitur sponsam esse iam gravidam. Eadem mulier, ut est vera excetra, maritum suum coram aliis tam diu vexat verbis contumeliosis, ut idem denique summâ irâ incensus in istam iaciat pedem mensae abreptum, sed ab eâ destinatâ aberrans destruat vas quoddam florum.

Sponsus sponsam graviter vituperat, quod cum amico suo saltavit more nimis lascivo. Maximam autem calamitatem idem sponsus miser patitur, quod supellectiles, id est sellae, mensae, stibadium, lectus, quas omnes se ipsum suo Marte fabricasse in initio valde gloriatus est, propter gluten ineptê confectum, una post aliam in partes dilabuntur, ut idem sponsus, qui ipse laudaverit industriam suam et peritiam fabrilem, magis magisque fiat ridiculus.

„Amicus“ (qualis dicitur) autem sponsi valdê indignatur, quod assulâ ligneâ, quae exorta est e sellâ quâdam fragili, braciae suae sunt graviter afflictæ. Necnon valde stomachatur, quod sponsus amici lascivitatem ulciscens nimis apertê loquitur de eius valetudine parum prosperâ.

Bertoltus Brecht auctor huius comoediae quoddam culmen ironiæ assequitur ibi, ubi maritum illius excetrae inducit fabulam a Bertolto ipso scriptam („Baal“) gravissimê vituperantem necnon patrem sponsae insulsum parumque paternis moribus insignem, qui abundê praedicat convictum Germanorum familiarem:

AMICUS: Exorta est quaedam simultas. Nonne aliquid canam citharâ?

SPONSUS: Nonne es fatigatus?

AMICUS: Quare?

SPONSUS: Saltando et bibendo. Nonne labôras e stomacho?

AMICUS: Non laboro e stomacho.

SPONSUS: At soles sumere natrium bicarbônicum.

AMICUS: Tamen non aegroto.

SPONSUS: Ah, curavi tantum, an rectê valeres.

AMICUS: Gratias tibi ago. Sed non sum fatigatus.

Pausa.

IUVENIS: Tun' quoque in theatro spectasti fabulam „Baal“?

MARITUS: Spectavi. Est fabula spurcissima.

IUVENIS: Licet sit. Sed inest quaedam vis.

MARITUS: Ergo est spurcitas violenta. Quae est peior quam infirma. Si qui auctor habet ingenium spurcitas scribendi, ideone excusandus est? Tu utinam ne aspectes tales fabulas!




Silentium.

PATER: Apud auctores modernos tam prâvê inquînâtur convîctus familiae. At hîc ipsô nihil melius habemus nos Germani.

AMICUS: Sâne hîc vêrum est.

Pausa.

Cum ipse iam viderim hanc comoediam a studentibus actam, bene scio, quantam habeat vim comicam. Itaque plurimum tibi commendo, cara magistra, care magister, ut hanc fabulam Latinê redditam cûrês in scholâ vestrâ agendam. Crede mihi, discipuli vividissimâ hac Latinitate perfructi gratias tibi agent!



21 paginae

datotheca pdf

numerus mandatelae: 00904

12,00 euronos

1.3 TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN

Textus huic disco compacto inustus originaliter anno 1421 litteris cursivis inscriptus erat chartae pergamenae. Anno 1983 mandatu Doctoris Ernesti Duve Hammaburgensis litteras, quae non ita faciles lectu sunt, explicavi textumque theodisce reddidi. Idem textus est testamentum vîri cuiusdam nomine Reyneri Berlbyn anno 1421 in Vestfaliâ scriptum. Ex eodem apparet, illâ aetate qualis fuerit usus Latinitatis officialis. Formae verborum, quae differunt ab aureâ Latinitate, in adnotationibus explicabuntur. Numeri uncinis inclusi spectant ad lineas originales chartae pergamenae.


Ecce initium huius scripti extraordinarii, quo cuiusdam Germani saeculi quinti decima ultima voluntas iuridicis verbis subtilissimis exprimitur:

(1) In nomine Domini Amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo vicesimo primo indictione quarta decima die vero (?) vicesima octava mensis septembris hor(arum)(2) primarum vel quasi pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nomine Martini divina providencia pape Quinti anno quarto in mei notarii publici testiumque infrascriptorum(3) ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum presencia personaliter constitutus discretus v(ir) n(omine) R e y n e r u s B e r l b y n opidanus opidi nostri B o c h o l t monasteriensis diocesis Ammadu'tens ut asseruit(4) quod vite sue terminum quisque penitus ignorat quodque nihil cercius morte nihilque incercius hora eiusdem existit consideransque eciam et perpendens salubrem ammonicionem prophete(5) dicentis: Dispone domui tue, quia morieris -



Ea propter prefatus Reynerus sanus ut asseruit ac eciam apparuit Deo gratia mentis et corporis atque suorum sensuum bene compos et racio-(6)-num nolens ab hac luce intestatus decedere quinimo et pocius de bonis quibuscumque sibi a deo collatis per modum sui testamenti seu juris codicillorum aut alterius voluntatis sue(7) ultime cuiuscumque disponere omnibus melioribus modo via jure causa et forma, quibus melius et efficacius potuit atque debuit suum Testamentum seu ultimam voluntatem post ipsius tamen(8) obitum et non ante exequendum fecit condidit statuit et expressit atque ordinavit in modum qui sequitur videlicet...

Denique, cara Lectrix, care Lector, non possum, quin te adhorter, ut incumbas huic documento mirabili: Tolle, lege!



7 paginae

datotheca pdf

numerus mandatelae: 01004

7,50 eurones

1.4 DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO

Vix alius vir sanctus hodie hominibus sive Christianis sive a fide Christianâ alienis tam bene notus tamque gratus est quam **Sânctus Nicolâus**. Scilicet hodie eundem in tantâ gratiâ populi non esse propter patronatûs christianos multiplices, qui sapienti illi episcopo Myrensi olim sunt addicti. Idem enim vir sanctus, quem Christiani antiqui atque mediaevales venerabantur summâ pietate imbuti, sub nomine ‚Vîrî Nâtâlîcii‘ iam pridem mutatus est in personam profanam, quae figmentis plus minusve ineptulis ridiculivse exhibita adhibeatur ad merces commendandas.

Licet ritê vituperetur talis pietatis Christianae profanatio, quae redoleat quandam animarum egestatem; tamen ne obliviscamur nomine Sancti Nicolai adhûc multos homines aliquatenus moneri dulcis teneritudinis beatitudinisque familiaris, quam olim aetate puerili experti sint aut experiri desideraverint; necnon inde apparere bona humana Sancti Nicolai colendi nondum omnia esse perdita. Nihilominus in indagationis processu videbimus temporibus illis transactis, quae bona dici solent, etiam mores Sanctum Nicolaum colendi nequaquam semper fuisse tam bonos, quam fuisse hodie multi homines sibi animo fingere soleant, sed iam medio aevo haud raro sub praetextu Sancti Nicolai colendi excessûs factos esse vehementer impios necnon puerorum puellarumque donationem persaepe factam esse cum minis et poenis inhumanis atque crudelibus.

In hac commentatione tractaturi sumus quaestiones, quae sequuntur:


De personâ Sancti Nicolai: Quatenus demonstrari potest Sanctum Nicolaum esse personam historicam, id est reverâ vixisse? Quae sunt piae fabulae Nicolai gravissimae et qui patronatûs Nicolai, id est munera tutandi specialia, ex iisdem derivati sunt?



E piis fabulis et patronatibus exorti sunt mores ad Sanctum Nicolaum spectantes, quos tractaturi quaeramus: Qui sunt mores ad Sanctum Nicolaum spectantes praecipui, idem unde exorti et quomodo tempore procedente mutati sunt?

Dies Sancti Nicolai onomasticus quamvis sit sextus mensis Decembris, tamen donatio natalicia fieri solet Sanctô Vespere, id est die vicesimo quarto. Sanctus Nicolaus – Vir Natalicius – Chrîstus puer – quis donat et quando? Unde exorta est illa imago notissima, qua Sanctus Nicolaus est laetus vetulus „Vir natalicius“, luxuriente barbâ candidissimâ, ruberrimo amiculo pilleoque pellito indutus, qui paululum obesus, laetus et hilaris, sclodiâ tarandrorum de caelo vectus per caminum in medianum – miro modo – pervenit (num solet irrepere?). Quatenus haec imago Nicolai spectat ad illum episcopum Myrensem gravem et venerabilem et sanctum?

Iam hîc summariolo perlecto, cara Lectrix, care Lector, tibi manifestum erit, quantâ sit ubertate relatio nostra ad Sanctum Nicolaum spectans. At idem summariolum antequam concludam, ne obliviscar tibi commendare eiusdem viri Sancti virique natalicii tredecim picturas maxime oblectabiles, quae inustae sunt huic disco compacto. Quo tibi mandato fruere atque helluare totâ cum voluptate tuâ Latinissimâ !



22 paginae

datotheca pdf

numerus mandatela: 01104

12,00 eurones

1.4 FABELLAE PUERILES ET DOMESTICAE A IACOBO & VILELMO GRIMM COLLECTAE 1

Fratrum Grimmiorum opus omnium notissimum, aeternum thesaurum litteraturae non solum theodiscae, sed etiam mundanae, Latinâ veste donare in animum induxi. Haud ignoro me non esse primum fabellarum Grimmianorum interpretem Latinum; iam saepius tales sunt Latinê redditae, sed semper paucae tantum êlectae, numquam totum opus. Si tu, cara Lectrix, care Lector, alicuius fabellae a nobis Latinâ veste indutae alicubi invêneris aliam versionem, tibi valdê commendo, ut illam cum meâ quam subtilissimê compâres. Tali enim comparatione permultâ disci posse in exercitiis scholaribus et universitariis iterum iterumque expertus sum.


Editione autem utor Röllekianâ (a.1999 factâ), cum eadem sit maximê critica et copiosissima. Hîc in disco Grimmiano LEONIS LATINI primo togâ ornavimus operis dedicationem et praefationes annorum 1819 et 1837, et quinque fabellas priores, quarum tituli sunt: „*Der Froschkönig oder der Eiserne Heinrich*“ (i.e. De Râno Rêge vel de Henrico Ferrato), „*Katze und Maus in Gesellschaft*“ (i.e. De catto et mure inter se consociatis), „*Marienkind*“ (i.e. De puellâ Marianâ), „*Märchen von einem, der auszog, das Fürchten zu lernen*“ (i.e. De quodam ad formidinem descendam



profecto“), „*Der Wolf und die sieben Geißlein*“ (i.e. De lupo et de septem capellis parvulis). Adiectus est conspectus copiosus, quo refertur de Grimmiorum vitâ et laboribus.

Si lectoribus placuerint Grimmianae fabellae a me Latinê redditae, LEO LATINUS paratissimus erit ad alterum discum Grimmianum quam maturrimê êdendum.

Tu autem, candida Lectrix, candide Lector, fruere fabellarum Grimmianarum prîsco lepôre et perge favêre LEONI LATINO!



28 paginae

datotheca pdf

numerus mandatelae: 01204

14,90 eurones

Nos LEONIS LATINI cooperatores semper studemus Latina tractare et êdere et interpretari secundum verba Ciceronis, quae sunt "VARIETAS DELECTAT". Itaque volumus omni mense novos discos êdere. Ne fiat monotonia, sed polytonia. Inspicite etiam indicem discorum, qui nondum êditi sunt, quos êdere in animum induximus.

LECTRIX LECTORVE, CAPE OCCASIONEM !



2.ARS CRITICA

De Aetnâ carmine aenigmatico (II):

Carmen de Aetnâ Siciliae monte ignivomo scriptum philologis semper videbatur esse omnium operum antiquitatis Romanae pessimè traditum et longè obscurissimum. Hoc scriptum Appendicis Vergilianae scatet locis, de quibus vindicandis aut emendandis multi iam coryphaei philologiae classicae planè desperaverunt. Scilicet quaestiones auctoris et structurae et elocutionis et aetiologiae latebrosissimas, quae spectent ad hoc carmen, rite solvi non posse nisi textu sat bene restituto. Nec dubium est, quin operae pretium sit Aetnam arte criticâ illustrare. Nam idem carmen aenigmaticum est testimonium singulare antiquae vulcanologiae...

CORRIGENDUM

Dr Immanuel Musaeus, philologus Gryphisvaldensis, nos nuper comiter monuit, ut explicarem coniecturam in NUNTIO LEONINO primo divulgatam:

Musaeus Leoni salutem plurimum dicit.

postquam maximo cum gaudio nuntium tuum leoninum primum perlegi, statim animum induxi, ut tibi scriberem de eo, quod in Aetnae versu 323io coniecisti. Nam qui hiatum inter "certa<nti>" et "angitur" defendere possis? - nisi forte ipsas angustias hoc hiatu notari dicas. Malim aliquid, quod palaeographiae magis conveniat ea respiciens, quae inter "certami" (i.e. "certanti" tuum) et "angere", litteras "ne t" dico, supersunt.

Veniam duis Latinitati meae admodum barbarae, cum Latine scribere vel loqui non panis, quem dicunt, meus diurnus sit.

Gryphisvaldae a.d. XVIII Kal. Ian. MMV.

Magnas gratias agimus Doctori Musaeo attentissimo. Scilicet eum in coniecturâ a Leone Latino propositâ invenisse hiatum vix defensibilem. Ecce problema in prima parte seriei nostrae exhibitum:

GOODYEAR

323 haud secus +adstrictus certamine tangitur ictu

??? 323 haud secus adstrictus certa<nti> angitur ictu ???

Istic hiatu non exortus erat nisi lapsu; minimè cogitaveramus de 'ipsis angustiis hiatu notandis'. Itaque quaesivimus coniecturas omnino novas:

LEO LATINUS:

323 haud secus *affrictus certatim* tangitur ictu
spiritus ...

(TERTIA PARS SEQUETUR)



3.SCIENTIAE NATURALES

3.1 En aspice Regem Bestiarum : Babae - quanta vis, quanta formositas, quanta maiestas! Leontologia: Leones quales sint et quomodo vivant.

classis: Mammalia
ordo: Carnivora
familia: Felidae
genus: Panthera
species: Panthera leo



habitatio: Originaliter leones vixerunt totâ in Africâ, Asiâ australi-orientali, Indiâ. Hodie eaedem feles mirabiles in eâ tantum regione Africae vivunt, quae est in meridie *Saharae* necnon in regione paeninsulae Indicae *Kathiawar*, quae obtegitur lege naturae tutandae.

plăgae inhabitatae: dumeta et zavana, in India etiam silva lucida.

mensurae

et pondera:

longitudo corporis maxima: 180 cm

altitudo umerorum maxima: 90 cm

pondus maximum: 250 chiliogramma

longitudo caudae: 80 - 100 cm



Leones tigridibus exceptis sunt felidae omnium maximae. Qui tigridibus et leopardis et oncis (onca = *Jaguar*) valde affines sunt. Leones mares iubati cum sint, aspectum praebent ex horrido speciosum, sed iubae pulchritudo multo magis exprimitur in leone hortum zoologicum inhabitante quam in fero, cuius iuba dumetis et senticetis admodum revulsa est. Pellis leonina est fulvi coloris rubeoli, latus inferius paululo lucidius. Cauda leonis longa sparsim tantum est capillata, in fine est cirrus nigri coloris. Quo in cirro est ‚aculeus‘, qui dicitur; idem constat ex caudae leoninae vertebrâ ultimâ.

Tale animal quanto est robore! Leo adultus uno tantum ictu brancae suae anterioris frangit cervicem *zebrae*. Licet leones rarius saliant quam tigrides sibi affines, sed salire possunt in altitudinem 3,50 (i.e. trium – virgula – quinquaginta) et per distantiam decem fere metrorum. Babae! Ingenti robore et unguibus deminutis fieri potest, ut leones sat bene in arbores connitantur. Qui unguibus anterioribus arbori impactis tollunt sua corpora porro, retro demittunt.





Leones vivunt agminatim. Agmen autem leoninum, quod constat ex triginta summum leonibus, semper ducitur a mare robusto. Praeter hunc marem ducem agmen complectitur complures feminas et catulos variae aetatis. Nutrimentum a nemine comparatur nisi a feminis, id est leïs sive leænîs. Plerumque hae bestiae venantur matutinis horis frigidulis aut vespertinis. Ad bestias praedandas, velut zebras, antholopês¹, phacochoerôs, leænae, quantum possunt, arrêpunt ex insidiis impetum facturae. Leo bestiam captam occîdit brancâ semel tantum dorso impactâ. Quamvis solae feminae venentur, primo loco mares suam partem praedae devorant.



De leonis vi symbolicâ. Antiquitus leo est symbolum regni atque potestatis. Cuius bestiae regiae imago inest heraldîs et vexillîs innumerîs, mythîs et fabulîs per totum fere orbem terrarum divulgatîs. Propter ingens caput suum mirabiliter iubatum necnon propter rugîtum suum perterrîcrepum leo in apologîs habetur pro „Rêge

¹ Online Etymology Dictionary //www.etymonline.com/ s.v. antelope: „1417, from O.Fr. antelop, from **M.L. ant(h)alopus**, from **Gk. antholops** (attested in **Eusebius of Antioch, c.336 C.E.**), a fabulous animal haunting the banks of the Euphrates, very savage, hard to catch and having long saw-like horns capable of cutting down trees. Original sense and language unknown (it looks like **Gk. "flower-eye," as if from anthos + ops, but that may be a result of Gk. folk etymology**). A heraldic animal, also known in **M.L.** as **talopus** and **calopus**, the name was **applied in 1607 to a living type of deer-like mammal.**



bestiarum“. Homines autem, qui sint natiuitate leoninâ, dicuntur esse potestatis conscii cupidique.

Eolutio: quae ratio intercedat inter leones et tigrides. Leones eoluti sunt e lineâ, quam communicant cum tigridibus. Quarum una species cum alterâ adhuc coire possunt, interdum ita, ut pariant catulos mixticios. Originaliter enim leones vixerant in tribus continentibus, in Europa et Africa et Asia. Postea autem e prisco leone occidentali eolutus est aetatis glacialis posterioris „leo troglodytês“, e prisco leone orientali eoluta est tigris. Itaque in Africa nullae vivunt tigrides ferae. In Indiâ autem adhuc inveniuntur pauci leones (populatio regionis tutelaris, c.n. *Gir*). Praeterea leones aliis in biotopis vivunt ac tigrides. Leones enim cum soleant inhabitare tesqua (quales plâgâe dicuntur etiam nomine Latinizato *steppae*), tigrides plerumque pervagantur *zangalas, id est abditas silvas tropicas.



Leones ubi vivant. Leo indicus (subspecies *Panthera leo goojaratensis*) non iam invenitur nisi in civitatis *Gujarat* regione tutelari, quae appellatur *Gir*. Ibi adhuc vivunt aliquot centum leones. In Africâ autem leones feri nascuntur in regione, quae sita est in meridie desertorum *Saharae*, ibidem adhuc vicunt quattuor subspecies leonum variae. Decenniis ante iam extinctae sunt leonis subspecies, quae *Panthera leo barbaricus* et *Panthera leo melanochaita* nuncupatae fuerunt pergrandes et speciosissimae. Eaedem inhabitaverant tesqua Africae orientalis et occidentalis.

Humanâ prole immodicê augescente leones magis magisque rediguntur in paucas regiones tutelares. Quibusdam in fabulis leo falso narratur versari in zangalis aliisve silvis densis; sed reverâ talibus in plâgâs Rex bestiarum rarissimê invenitur. Idem e contrario amat aperta tesqua graminosa et latissima, ubi investigat bestias praedandas praecipuas, quales sunt bubali, zebrae, antholopes, praesertim connochaitae (quae vulgo *gnou* dicuntur). Sed etiam in montibus Africanis leones versantur, in altitudinibus summum quattuor milium metrorum.

Structura corporis. Leones mares et feminae inter se valde differunt. Qualis differentia a biologicis dicitur *dimorphismus sexualis*. Mares in capite, partim etiam in



abdomine exornati sunt iubâ mirabili maximêque magnificâ. lidem praeterea tricenis vel quingenis partibus centesimis maiores sunt feminis iubarum expertibus.

Leones adulti pendunt summum 250 chiliogramma. Qui longi sunt (caudâ inclusâ) tria fere metra, altitudine umerorum unius summum metri. Leones sunt corporis ponderosi et compacti. Currere possunt summum sexagena chiliometra per horam, sed tantam celeritatem tantummodo per aliquot centum metra possunt servare.

Pellis catulorum leonis lineamento suo similis est pelli leopardorum; quod lineamentum primo anno aetatis evanescit. Pellis autem leonis adulti tenore est fulvo-fusco. Cauda longa est fimbriâ finali crassâ et nigris pilis obsita.

Leones feri aetatem assequuntur circiter quindecim annorum, in hortis autem zoologicis nonnulli leones assecuti sunt aetatem viginti quinque annorum.

Oculi leonum pupillis sunt rotundis, cum alii felidae habent pupillos rimis aut ovis similes. Lingua leonina in parte superiore instructa est denticulis corneis, quibus caro bestiarum captarum de ossibus radatur.

Leonis brancae anteriores sunt robustissimae: quae decies robustiores sunt quam manûs hominum. Uno ictu earum leo bestiae captae, velut zebrae, potest frangere cervicem. Sicut omnes felidae leo currit in digitis pedum, qui hac de causâ sunt tomentosi.

Leonis organa sensuum perbene operantur, praecipuê leo videt per tres dimensiones, videt etiam tempore nocturno necnon sonos audit auribus in directiones versus.





Nutritio

Leae venari solent gregatim. Quae venantes bestiam maturê eligunt et agmine circumsaeipiunt. Cum una aut duae leaenae bestiam praedandam fugant et abigunt, ceterae exspectant, dum illa bestia sibi adigatur. Bestia praedanda autem novis aggressoribus conspectis se vertit, ut fugiat, sed videt se esse circumclusam. Non potest, quin praebeat latus suum violabile leae, a qua brancam impingente statim occîditur. Nam lea mordendo discindit arteriam bestiae captae collarem, ut mors fiat sanguine effuso.

Haec ratio venandi gregalis est necessaria, quia lea sola bestiam plerumque non tam diu potest persequi, ut capiat.

Bestia occîsa a toto agmine plerumque ad locum tranquillum et umbrosum trahitur, ut ibi communiter devoretur. At tempore siccitatis, quo nutrimenta sunt rariora, leones mares principatum devorandi postulant. Secundo loco licet feminis devorare, ultimo demum locum catuli leonini. Si summa est penuria nutrimentorum, primo catuli leonini fame moriuntur.

Leo sibi non temperat, quin carnem quoque comedat bestiae a se non captae.

Praeterea leo degluttire solet bestias minores, velut lepores, si valdê famelicus est, etiam aves, immo insecta. Eximiê autem cupit devorare carnem animalium ruminantium, quorum viscera multa vitamina continentia primo loco devorat. Leones adulti summum viginti chiliogramma carnis possunt degluttire.



Mores leonum

Leones bestiae sociales cum sint, magnis gregibus inter se consociantur. Quo more leones valde differunt a ceteris felidis maioribus. Iidem non sequuntur magnas catervas bestiarum aquam petentes, sed remanent intra cynegesium suum, id est regionem venandi sibi propriam. Feminae (summum decem) agmine formato cynegesium aliquod occupant, cum mares (summum quattuor) grege pugnatorio formato cynegesium communiter defendant, praesertim contra leones alienos. Mares



autem per totum diem cum negotiis defendendi sint obstricti, ipsi non vacant venando. Itaque munus venandi suscipitur a feminis, quae tamen concedant maribus portionem carnis primam et maiorem (unde derivata est vox metaphorica ‚portionis leoninae’).

Paucae tantum et minus vehementes fiunt pugnae, quibus de ordine decertatur, inter mares eiusdem gregis. E contrario leones alicuius agminis fatali cum vehementiâ pugnant cum leonibus alienis vagantibus, qui volunt se agmini adiungere. Si tales ‚invasores’ victoriam pepererunt, saepe catuli ducis praecessoris necantur; hic mos, qui nobis crudelis videtur, in naturâ saepe potest observari.



Si quo in agmine aliqui leo moritur, in eius locum supponitur catulus. At ceteri leones iuvenes omnes necesse est anno aetatis secundo aut tertio agmen relinquunt, ut condant proprium agmen aut se adiungant agmini alieno, cum leaenae iuvenes remaneant in agmine suo originali. Cynegesium autem leoninum, quod complectitur circiter 100 chiliometra quadrata, necesse est contineat sat multos fontes et locos umbrosos.

Leones mares non pubescunt ante annum aetatis quintum aut sextum neque antea in agmen alienum cooptantur. Antequam maturitatem assecuti sunt, leones plerumque solitarii (nomades) per tesqua vagantur. Tales nomades saepe inter se consociantur ad parvos greges formandos posteaque sibi expugnant gregem feminarum cum cynegesio.

Rugiunt leones, ut alienis leonibus deterritis cynegesium suum defendant. Rugitus leoninus audiri potest per complura chiliometra. Leaenae autem potius rugiunt, ut inter se communicent de directione invenienda.



Homine excepto vix aliud animal impetum facit in leonem adultum. Leones plerumque pugnant contra alios leones rivales. At interdum vehementer etiam pugnant cum hyaenis aliisque bestiis commensalibus, ut defendant praedam suam.

Saepius leones iam cultae sunt ut bestiae domesticae, quod bene fieri potest propter eorum mores sociales. Prius multa templa erant, quae custodirentur a leonibus. At iidem cum degluttiant ingentes copias carnis, numquam diutius ab hominibus colebantur.

Leones sunt quidem bestiae die activae, sed venari mântunt horis vespertinis aut nocte ineunte.



Prolis leoninae propagatio. Leaenae pubescunt tres aut quattuor annos natae catuliuntque per totum annum quibusdam pausis interpositis. Quae post spatium graviditatis 100 vel 120 dierum pariunt binos aut quinos catulos. Leunculi neonati pendunt 1,0 vel 1,4 chiliogramma, lactant per annum dimidium, primo caeci sunt, post duas demum septimanas oculos aperiunt. Propter nutrimenti penuriam aut parentum negligentiam vicenae tantum partes centesimae catulorum assequuntur aetatis annum secundum. Tamen catuli superstites sufficiunt ad numerum leonum agminis servandum. Leunculi tres menses nati unâ cum matre primas faciunt expeditiones. Leo autem anniculus instructus iam est dentaturâ permanenti, quo non iam sit matri obnoxius; tamen plerumque per unum aut duos annos in agmine remanet.

Sufficiant haec in praesenti de LEONE REGE BESTIARUM animali nostrae sedis interretialis insigni. In animo nobis est discum êdere compactum, cui inusta erit LEONTOLOGIA magna, imaginibus exornata multis magnificisque. Si sat multi lectores nobis scripserint se optare, ut accipiant hunc discum leontologicum, eundem êdere poterimus quam maturimê.



3.2 Num *Pierola-pithêcus catalaunicus* fuit animal pongidarum et hominum praecessor geneticus?

Homo quomodo evolutus sit ex simiâ, nunc investigatur in Catalauniâ.

Nuper investigatores Catalaunienses invênêrunt ultimum ex maioribus hominis et simiae communibus aut saltim animantem eidem valdê affînem. Prope Barcinonem iidem investigatores effoderunt sceleton animantis, quae structurâ ossum homini videtur esse similior quam simiis hodiernis.

Grege palaeontologorum, cui praepositi sunt *Salvador Moyà-Solà* et *Meike Köhler* in Barcinonensi „Schola Industriali“ (*Escola Industrial*) docentes, usque nunc 83 partes osseas sceleti composuit, quod habet aetatem tredecim milionum annorum. Investigatores in periodico scientifico, c.t. „Science“ (t.306,p.1339) scribunt, ossa originem repetere ex adulto simio masculino ponderis 35 chiliogrammorum. Ex structurâ ossum pectoralium concludunt eundem simium alacriter atque habiliter in arbores connixum incessisse multo erectiorem quam hodiernum simium panem.

Sceleton illo tempore evolutionis exortum esse, quo homo a simio disiungeretur.

Sedecim vel undecim milionibus annorum ante duae lineae evolutionis una ab alterâ disiunctae sunt: unâ ex parte homines et pongidae, ad quos spectant hodie pongones et simii panes et gorillae, ex alterâ parte simii „inferiores“, velut hylobatae (*gibbons*). Fortasse ille simius nuper in Catalauniâ repertus, quem investigatores denominaverunt secundum locum, ubi invênêrant, *Pierola-pithêcum catalaunicum*, fuit primus omnium pongidarum. At *Meike Köhler* palaeontologa consulto non locuta est de nexu simii et hominis iam diu quaesito, qui ab anthropologis dicitur *missing link*. Qua notione investigatores iam nimis saepe parumque aptê usos esse. At verisimillimum esse sceleton inventum spectare ad animantem, quae, nisi esset ipse praecessor simii et hominis communis, certe esset animans huic praecessori valde affinis.

Pierolapitheco invento nonne infirmatur thesis originis hominum Africanae?

Pierolapithecus catalaunicus aliis quoque de causis multum valet. Idem si reverâ est praecessor hominis geneticus, eo infirmatur vetus theoria, qua gens humana solâ ex Africâ est exorta. *Moyà-Solà* anthropologus Catalaunensis, ut hanc controversiam evitaret, dixit verisimile esse hanc animantem ex Africâ in Europam immigrasse. Usque nunc pauciora ossa fossilia esse inventa, quam ut proponeretur thesis definitiva. Hoc novum sceleton fossile eo esse insigne, quod primum haberet proprietates animantium primatum modernorum. Thorax Pierolapithêci autem latior et planior est quam omnium simiorum, qui ante eundem sunt evoluti. Pierolapithêcus habet vertebrae lumborum relativê breves et rigidas, rectas scapulas, carpum flexibiliorem. Quibus nôtis acceptis Pierolapithêcus potuit incedere erectus et in arbores conniti. Calvariae suae structurâ hoc animal Catalaunense similis est homini aliisque primatibus. Facies enim Pierolapithêci est comparatê brevis, radix nasalis in eâdem altitudine sita est ac oculi. Aliae nôtæ, quales sunt forma faciei obliquata necnon digiti manuum pedumque breves cum sint primitivae, hodie nullis simiis nisi hylobatis aliisque homini minus similibus sunt propriae.



David Strait, palaeontologus Universitatis *Albany* in Americanâ civitate Neo-Eboracensi sitae, vim sceleti inventi anthropologicam addubitavit. Qui dixit perdifficile esse ex ossibus sceleti fossilis derivare affinitates. At *Clarke Howell* in *Berkeley* Universitate Californiae illustrissimâ docens suavissimê affectus est Pierolapithêco invento. Inde apparere ante 13 miliones annorum magnam exstitisse multipliciter animalium homini similium – etiam in hodiernâ Europâ.

Sufficiant haec in praesenti de Pierola-pitheco catalaunico, pongidarum hominumque proavo.

Dixi. L.L.

3.3 Ucraina Macchiavelliana: De Juŝcênkonis cenâ infernali.

Quid est „dioxînum“? Studiolum toxicologicum.



Facies Victoris luŝcênkonis dioxinô defoedata:
ante m.Sept. qualis fuerit (sinistra parte) et nunc qualis sit.

Die 11.m.Dec. *Michael Zimpfer* director Domûs Rudolffinae nosocomii privati Vindobonensis, postquam Victorem luŝcêncônem ducem Ucrainensium politicorum opponentium unâ cum collegis quam accuratissimê perquisivit, declaravit eundem esse dioxîno imbutum.

Dubium non esse, quin luŝcenco magnâ dosi dioxini esset imbutus. Quam per ôs in corpus pervasisse verisimile esse. At fieri non posse, ut diceretur, quo modo corpus hîc veneno esset imbutum. Diagnosin positam esse in telâ et sanguine disquisitis. Nunc luŝcênconem a medicis curatum reconvalescere.

E contrario *Max Daunderer* toxicologus Monacensis a WDR 2 statione radiophonicâ interrogatus graviter dubitavit, an luŝcenco reverâ reconvalesceret. Professor Daunderer: „Opînor“ inquit, „illum vehementer aegrotare.“ Post veneficium dioxinô factum probabile esse „nunc omnia organa periclitari“. Praeterea effectu huius veneni



mores hominis vehementer mutari, effici depressiones psychicas et cogitationes suicidales. Dioxinum venenum ab officiis secretis saepe adhiberi, cum venefici computarent „hominem istoc veneno imbutum post paucas septimanas ipsum sibi mortem esse consciturum.“

Iuŝcencõnem in gravem morbum incidisse, cum fierent suffragiorum certamina, apparuit cum aliis tum praecipuê cute eius subito defoedatâ. Facies huius vïri politici quinquagenarii ex mense Septembri pustulis obsita vehementer tumescebat. Talis cutis mutatio, quae appellatur *acnê chlôrica*, effici potest dioxino.

Acnê chlôrica (sicut acnê olearia) est genus acnês contactuum; haec acnê efficitur hydrocarboneis chlôratis (chlôronaphthalinîs, chlôrophenolo, pentachlôrophenolo, dioxino, furanîs). Quas substantias si qui homo per os recipit aut inhâlat, detrimenta capit gravissima. Symptomata sunt nodi cutanei, comedonês fistulati cavernis vulpium similes necnon cystides (comedonês gigantêi), quibus, si morbus est chronicus, oriuntur cicatricês defoedantes. Praeter cutem etiam organa interiora et centrale systema nervosum possunt affligi.

In acnên chlôrîcam solent incidere operarii fabricarum electricarum et chemicarum (qui adhibent perchlôronaphthalêna) aut ii, qui utuntur substantiis ad lignum protegendum utilibus.

At quomodo factum est, ut Victor Iuŝcenco implicaretur hoc morbo atroci? Idem Victor diurnariis actorum diurnorum, q.t. *Ukrainskaya Prawda*, refert haec: Se ab *Ihor Smeschko* eiusque vicario *Volodymyr Stasiuk*, praeceptoribus officii secreti Ucrainiani (SBU), invitatum esse ad cenam vespere diei 5. m.Sept. in villâ vicarii cum iisdem habendam. „Post diem mihi difficilem cum essem fatigatissimus, hic conventus mihi visus erat parum congruere, quia expectaveram eodem nihil factum iri nisi novam animi intentionem; tamen factus est.“

Multa autem sunt indicia, ex quibus liceat concludere Iuŝcencõnem illo vespere diei Dominici in villâ Stasiukianâ veneno esse imbutum. Vehicula veneni (ut aiebant veteres chemistae) veneficis praesto erant multa, cum illa cena opipara complecteretur permulta fercula, inter quae erant e.g. *sushi* (pisces crudos more laponico paratos), cancos fluviales, melopepones, sed etiam vinum, vinum adustum, aquam vitae. Catharina (*Kateryna*) uxor Iuŝcencõnis a diurnariis diarii hebdomadalis, c.t. *Zerkalo Nedeli*, interrogata de marito multâ demum nocte domum reverso narrat haec: „Perbene recordor hanc rem. Maritum, ut soleo, cum oscularer, animadverti mirum saporem medicamento alicui similem. Victorem interrogavi, num medicamentum sumpsisset, sed ille negavit“.

Nikolai Korpan medicus Iuŝcencõnem curans dixit eundem cenantem nihil insoliti sapuisse. „Scilicet nos eum interrogavisse, quid cenasset. Sed idem respondit cenam fuisse solitam. Se nihil comedisse nihilque bibisse extraordinarii“. Nonnullis horis post cenam Iuŝcencõnem in morbum incidisse et dolore capitis diffuso laboravisse. Duodecim horis post cenam eundem affectum esse ventris doloribus vehementibus.

Medici Ucrainiani primo opinati erant Victorem laborare influentiâ sive morbo grippico aut suffragiorum certamine defatigatum esse. Post quattuor demum dies Iuŝcencõ transportatus est in privatum hospitale Vindobonense, c.n.est Domus Rudolfina




(nomen huic domui a.1880 impositum spectat ad Rudolfum protectorem filium regis successioni destinatum). *Korpan* medicus dixit, luščencô si paucis diebus postea in hospitale transportatus esset, non verisimile futurum fuisse, ut vita superaret. Postquam bis in hospitali diutius curatus est, luščencônis valetudo videtur esse aliquatenus stabilis, sed eius facies adhûc pustulis est defoedata.

At qualis est istaec substantia infernalis, qua homo imbutus impellitur, ut ipse mortem sibi consciscat?

Studiolum toxicologicum: De dioxînîs substantiis venenosis

Non exstat tantummodo unum **dioxînum**. Sermone cottidiano dioxînum est illud **tetrachlôrodibenzo-p-dioxînum**, quod a.1976 ex officinâ chemicâ emissum est prope vicum Italicum, cui nomen est **Seveso**. Chemistae sensu generali nomen dioxînôrum systematicum imponunt omnibus coniunctionibus organicis, quae continent ânulum sênârium heterocyclicum duabus atomîs oxygenii instructum (itaque vocantur 'di-oxinum', formula summaria est: $C_4H_4O_2$). Substantia huiusmodi simplicissima est 1,4-dioxînum. Sed sensu strictiore chemistae nomine dioxînôrum appellant **dibenzo[1,4]dioxîna polychlôrâta (PCDD)**. Eadem dioxîna constant ex binis ânulîs benzôlî, qui duabus atomis oxgenii inter se coniuncti sunt (itaque a chemistis habentur pro aetheribus). Sensu laxiore saepius etiam in numerum dioxînôrum referuntur **dibenzofurâna (PCDF)**, quamvis eadem non habeant binas atomos oxygenii, sed singulas tantum (id est vacent ânulô dioxînî).



TCDD: 2,3,7,8-Tetrachlordibenzodioxin

Formula structuralis: TCDD, i.e. 2,3,7,8-Tetrachlôro-Dibenzo[1,4]dioxînum, venenum Sevesianum, quod spectat ad gregem dibenzo[1,4]dioxînôrum polychlôrâtôrum (PCDD).

Dibenzodioxînôrum et dibenzofurânôrum ânulî aromatici (quales ex sênîs atomîs carbonei vicissim simpliciter et dupliciter inter se colligatîs constare saeculo 19. Kekulé illustris chemista demonstravit) atomis chlôrî aut aliorum elementorum halogenôrum sunt instructi (quarum atomorum numerus summus est octonarius). Itaque grex dibenzo(1,4)dioxînôrum polychlôrâtôrum (PCDD) complectitur 75, grex dibenzofuranorum polychlôratorum (PCDF) 135 substantias varias, quae appellantur congenerês. Omnis substantia cõn gener est peculiaris toxicitatis, id est effectûs nocentis.

Praeter **polychlorata** dibenzodioxina atque dibenzofurana exstant etiam **polybromata** dibenzodioxina atque dibenzofurana, quae interdum in dioxinorum quoque gregem referuntur. Sed **polyfluorata** dibenzodioxina atque dibenzofurana sub condicionibus practicis non oriuntur.



Historia

De problemate dioxinorum septimo decennio exeunte saeculi proximi praeteriti in Civitatibus Unitis publicè disputari inceptum est. In causâ fuit *agent orange*, *defoliammentum a militibus Americanis in bello Vietnamico adhibitum, quo et Vietnamiani et Americani postea graviter affligerentur.

Cum d.10. m.lul. a.1976 in vico *Seveso* circiter 30 chiliometris ab urbe Mediolani sito, e reactro fabricae insecticidalis, cui nomen fuit ICMESA, emissum esset TCDD, dioxîna venêrunt in claritudinem tristissimam.

TCDD, id est 2,3,7,8-Tetrachlôro-Dibenzo[1,4]dioxînum, exortum erat, quia in trichlôrophenôlo fabricando effecti erant nimii calores.

Hôc infortunio aves et animalia minora sunt mortua. Quamvis praeceptores officinae ICMESA novissent, quam venenosum esset TCDD, non curaverunt labores finiendos, antequam una ferê septimana est transacta. Postea cum circiter 220.000 homines a medicis perquirentur, inventi sunt 187 vel 193 (numerus non certê traditur) casûs acnês chlôrïcae; 70000 pecora veneno imbuta erant mactanda. Domûs 40 familiarum erant rescindendae, strata sôlôrum superiora tollenda et deponenda erant. Plus 150 miliones euronum sunt dati ad detrimenta remuneranda. Dioxînum autem Sevesianum toxicitate suâ non solum superat acidum hydrocyanicum, sed etiam gasa nervalia sarinum et tabunum. Homo eodem imbutus non sôlum labôrat acnê chlôrïcâ, sed etiam muneribus digestionis et nervorum et enzymorum defectis musculorum artuumque doloribus.

Ante annum 1968 plus quadringenta tonnae purgamentorum, quae cupri metalli extractione exorta erant, ex oppido *Marsberg* sub nomine mercatorio *Kieselrot* (,rubedo silicea') per totam Germaniam venîbat. Istaec autem substantia, quae partim adhûc inest campis gymnasticis, continet dioxinôrum copias, quae sunt decies milies maiores quam valores dioxîni limitanei ab officio circumiectorum foederali (*Bundesumweltamt*) indicati.

Dioxîna quomodo exoriantur.

Dioxîna non solent consulto fabricari, sed in multis processibus variis oriuntur ut producta secundaria. Si coniunctiones organicae (id est carboneum continentes) coniunctionibus halogenorum (praesertim chlôrî et brômî) praesentibus comburuntur, certo spatio temperaturae, quae dicitur „fenestra dioxîni“ (300-600 gradibus Celsianis) oriri possunt dioxîna. Talis processus combustionis est e.g. combustio purgamentorum.

Ultimo decennio 20i saeculi ineunte etiam gasa ex autocinetis emissa continuerant polychlôrâta et polybrômâta dibenzodioxîna dibenzofuranaque. At d.17. m.lan. a.1992 lêge tutelae immissionum foederali vetitum est, ne benzino admiscerentur coniunctiones chlôrî et brômî.

Alii processûs industrialês, in quibus oriri possunt dioxîna, sunt hi qui sequuntur:



- decoloratio chlôrica, qualis fit in chartâ fabricandâ
- fabricatio insecticidâlium
- processûs metallurgici (e.g. fabricatio ferri et chalybis)

Interdum etiam processibus naturalibus oriuntur dioxîna, e.g. actionibus microbiorum et incendiis silvarum aut tesquorum, quae fulmine efficiuntur.

Dioxîna ubi inveniantur.

Dioxîna sunt persistentia (durabilia) et praecipuê particulis pulveris alligata per aerem in circumiecta disperguntur. Hae substantiae sunt ubiquitariae, id est ubique terrarum in sôlîs, aquis, sedimentis, plantis, bestiis, hominibus eqs inveniri possunt.

Cum dioxîna sint valde lipophila (facile solvuntur in adipibus), in hominum bestiarumque telâ adiposâ plurimum accumulatur. Ut inveniant, quantum homines alicuius regionis dioxîno infecti sint, investigatores solent perquirere lac maternum, quia idem continet multum adipis, ut dioxîna in eodem facile accumulatur. In Germaniâ lēgibus inventionibus technicis inde effectis copia dioxînôrum hominibus imminentium valdê deminuta est.

Quomodo dioxîna in corpus humanum recipiantur.

Dioxîna cum sint ubiquitaria, non penitus impediri potest, ne corpore recipiantur. Homo nonagenas vel nonagenas quinas partes centesimas (90-95%) dioxînôrum recipit nutrimentis, praesertim alimentis adiposis, velut lacte et carne et piscibus.

Haec hactenus de dioxînîs substantiis venenosis, quae fatales fuerunt incolîs vici *Seveso* necnon *Victori Iuščencôni*. Verum enim vero, methodi officiorum secretorum sunt sanê infernales. Necnon ii, qui vim habeant ad Ucrainiam sive intra sive extra hanc terram versantur, sine ullo scrupulo officium secretum adhibent, ut politicos oppositantes reprimant sibi que servant potestatem propriam.

Utinam in Ucrainiâ vincant defensores libertatis. Utinam verê reconvalescat, utinam vere vincat **Victor Iuščencô**.

Scripti. L.L.



4. TRANSLATIO: Somni soror, i.e. *Schlafes Bruder* (II).

Ultimum capitulum

Anno 1912, cum *Cosmas Alder* ultimus incola vici *Eschberg*, vici cuiusdam montani in mediâ regione *Vorarlbergianâ* siti, in praedio suo neglecto fame periisset, - ne veteres quidem incolae vici *Götzberg* propinqui suspicati erant in illo loco superiore adhuc hominem aliquem vivere – natura quoque definitè decrevit, ut exstingeretur omnis memoria huius vicî. Eadem visa est ferè quodam cum respectu exspectasse mortem miserabilem ultimi sui domitoris, ut deinde vehementer et in sempiternum irrueret in viculos lucidos. Quae ab homine saeculis ante ablata erant, natura nunc sibi retraxit. Via olim vicana semitaeque ad praedia ducentes iam pridem ab eâdem spinosis dumetis occupatae erant, reliqua stabula et domicilia ad cinerem ambusta iam pridem putrefacta, moenia musco obsita. Senex obstinatus cum mortuus esset, natura etiam etiamque maiore cum varietate et mutabilitate invasit in arduos hortos montanos, ubi olim omnis arbor iuvenilis ascis pertinaciter erat abscisa.

Necnon fraxinus, arbor naturae dilectissima, denuo crevit abundè et fortiter.

Tertium cum incendium factum esset uno tantum saeculo – cuius flammis nocturnas clamorè admirati erant ipsi *Appenzelliani* remotissimi - , etiam *Lampartiani* et *Alderiani* comprehenderunt, gentes in vico *Eschberg* uncae – Deum numquam voluisse ibidem vivere homines. Nocte tertiæ incendii, die 5. m. Sept. a. 1892 combusti sunt duodecim homines in lectis suis collocati, in stabulis duodequingenta pecora. Per totum diem domorum compages pervolutaverat infernalis ventus favonius, in silvis tam mirè mugiverat atque anhelaverat, ut postea nonnulli homines contenderent aliquem, qui summam calamitatem futuram certè praescivisset, mille vocibus sustulisse cachinnum. Nocte tertiæ incendii in *Eschberg* nemo ausus est focum suum accendere, ne candelam quidem ad preces faciendas. Omnis scivit – infans ex adultorum narrationibus minacibus oculisve subito phantasmaticis - lumine aperto quanta damna inferri possent. Quidam *Lampartianus* secundum incendium expertus, primum obscurè recordatus, eâdem nocte ambulavit ab uno praedio ad aliud, ut – si necesse esset, vim adhiberet - vetaret, ne quis uteretur lumine aperto. Qui cum eo repsisset, stabula et cellas et cubicula speculatus ne minimam quidem luculam animadvertit. Naribus in caminos directis ne minimam quidem odoratus est nubeculam fumi frigidi. Itaque idem *Lampartianus* versus horam secundam in sacco suo folioso collocatus tranquillius obdormivit.

At versus tertiam horam combusti sunt totus vicus et silva vico circumscita horâ rapidius. Ventus enim favonius ab ecclesiâ Sancti *Volfgangi* et secundum colles et trans dorsa silvestria usque ad iuga montium agitavit ignem clamantem.

Nocte incendii tertiæ homines superstites per rivum *Emmerum* irâ et desperatione rugientes, iridentes, lacrimantes deorsum in regionem vallis *Rhenanae*, ubi postea aut paupertate consenescerent aut mediastri mercennarii usque ad finem vitae agros colerent aliorum. *Cosmas Alder*, qui ita ut reliqui duodecim incolae creditus est combustus esse et pro quo in vico *Götzberg* prope sito iam cantatus erat ille *Dies irae*, unicus homo remansit in praedio suo ad cinerem ambusto. Idem dormiverat in muris hypogei sui umidîs, nam nocte solebat colloqui cum filiâ suâ ibi sepultâ. Nam filia *Cosmae* cum fêtum abegisset, parochus *Götzbergensis* funus eiusdem



ecclesiasticum non praestiterat. Cosmas cum videret, Deus quantam calamitatem effecisset, decrevit, ut in praedio suo remaneret ibique iners exspectaret diem iudicii novissimi. Per viginti annos habitavit in suis parietinâs, ne minimo quidem labore conatus est praedium restaurare, quod non reliquit nisi fame magis magisque agebatur in laetas silvas juveniles. Denique vero fame periit. Nequaquam nutrimenti penuriâ – Eschbergenses enim ut comedant coquere sciunt fere omnia – sed nullâ aliâ re nisi taedio vitae contumacissimo.

Ita factum est, ut etiam ultimus vir Alderianus simulque ultimus Eschbergensis patefaceret fatalem illam indolem obstinatam, quâ totus vicus per saecula insignis denique est exstinctus.

(Tertia pars sequetur)



5.CERTAMEN IULIANUM: SCRIBATIS LATINE! PRAEMIA PRAEBENTUR!

Horatius Antonius Bologna poeta ingeniosus et redactor Latinitatis periodici Vaticanae Sedis optime meritus, nuper nobis misit praeconium, quod sequitur:

CERTAMEN IULIANVM

Omnibus lyceorum discipulis, linguae Latinae cultoribus, Certamen Iulianum proponitur, quod Idibus Martiis apud Urbis Lyceum "Giulio Cesare" celebrabitur. Petitor, qui opusculo uel prosa vel astricta oratione composito Certamini interesse cupiat, sibi ipsi nouum seligat argumentum, ad huius aetatis res uel euentus pertinens, de quo Latine agat. Omnibus tamen haec obseruentur praecepta:

- scripta, quae prosa oratione exarantur, summum septingenta uerba, minimum trecenta et quinquaginta complectantur;

poetarum fetus ne minus XV uersibus constant neque numerum XXV uersuum excedant;

- petitor, ubicumque terrarum est, quinque operis sui exemplaria, ad unum tantum argumentum pertinentia, machinula scriptoria uel computatro exarata, pridie Kalendas Februarias anno MMV mittenda curet;

- petitor opus suum in summa pagina sententiola notet, quam super inuolucrum, in quo scidula nomen et cognomen nec non domicilium lyceique titulum exhibens claudetur, grandibus litteris exarabit;

- petitor denique curet, ne nomen super inuolucrum exterius exaret. Id si faciat, excludetur.

Victoribus haec praemia tribuentur:

- qui inter omnes superior euaserit, diplomate et quingentis eurinummis honestabitur;

- qui uictori proximo discesserit, diplomate et quadringentis eurinummis decorabitur;

qui tertio praemio dignus existimatus erit, diplomate et trecentis eurinummis ornabitur;

- qui publica laude digni ducti erunt, diplomatibus tantum donabuntur.



Unusquisque petitor, si uelit, siue soluta siue astricta oratione in idem certamen descendere potest, dummodo unum tantum opusculum exhibeat. Scripta praemiis ornata edentur; quae contra nullo praemio decorata, non reddentur.

Scripta per tabellarios publicos unusquisque petitor, suis impensis, mittenda curabit ad:

Certamen Iulianum
Liceo "Giulio Cesare"
Corso Trieste n° 48
I 00198 Roma



7.ECHUS VOCES EPISTULAE

Horatius Bologna poeta Latinissimus et redactor „Latinitatis“ Vaticanae

...Omnibus quae in retiloco scripta inveni perspectis, ad te, praeclare linguae Latinae cultor, hoc epistolium mittere iuvat. Primum gratulor tibi, quoniam inceptum merito multis laudibus dignum puto. Quam ob rem in primo Latinitatis fasciculo, qui proximo anno edetur, haud invitus de operibus tuis agam. Quod est tibi laudi, nobis lectoribus linguamquae Latinam adhibentibus adiumento, Latinitatem colentibus auxilio.

Gaius Licoppe & Francisca Deraedt „Melissae“ editores

...Nondum potuimus totum periodicum Leoninum perlegere, quippe quod sit tam dives tamque variis rebus refertum. Sed plurimum placet et iterum iterumque admiramur navitatem tuam. Solesne noctu aliquando etiam dormire, an totum tempus tuum dicas versionibus faciendis et commentationibus conscribendis?...

P.Rodericus Calvus (Kahl)

Gratias tibi, optime Nicolae, pro nuntio tuo, ac praesertim pro laboribus tuis interpretationum quibus nobis opera theodisca in vestimentis Latinis praebes. Ex annis iam mihi est "De aranea nigra", nunc etiam "Fragrantia". Iam avidus sum novarum interpretationum tuarum! Vale.

Radulfus Lavallo Argentinianus poeta Latinus

Nicolae perquam doctissime, quid dicere possim de tua doctrina atque erga litteras amore? Bene recepi NUNTIUM LEONINUM. Non integrum legi, quia mihi tempus defuit, sed constanter miror opus tuum magnum. Si aliquid elegero (iniustum certe est alia omittere, sed hoc ago brevitatis causa), ophiocephalus magnum mihi iniecit pavorem, ne ad has horas natando perveniat. Sed incassum: puto nos, Argentinios, tam malos esse ut maiorem terrorem ophiocephalo mittamus.

Gratias quoque tibi, quia pro certo habeo tuum NUNTIUM valde utile futurum esse meae mulieri: Alexandra (sic vocatur) programmata linguae Latinae docendae in schola sua revisit nunc. Plura dicere habebit de viva Latinitate. Gloria tibi, latinista inter latinistas. Radulfus.

Gerardus Helzel ingeniarius et artifex

...Quod ad situm tuum interretialem attinet, quoque laudo et volo, si vis, Indicum libellum in disco compacto editum iubere venire (1.FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA). Multa vidi de tua opera qua libros scribis, et eos Latinos, sed vereor ne tempus meum non sufficiat ad ea legenda, cum libros Graecos re vera me oporteat legere (quam linguam nondum tam bene scio ut Latinam). Studium tandem enim necesse est finire quod ante annos coepi.

Etiam "Nuntium Leoninum" tuum legi stupens quanta opera et ardore rem adiisti, quam insuperabilem aliis cernimus. Etiam, quod vis Nuntium quoque mense in lucem edere, valde admiror, cum tempus maius et lectorum maiorem numerum exigat, imprimis quod gratis suppeditare in animo habes...



Victorius Ciarocchi Italus.

... Omnia, exceptis nuntiis per "DSL" relatis, inspicere ac legere potui, Nicolae praestantissime. Inceptum tuum laudo proboque nec non Latinitatem tuam, de qua tibi maxime adsentior iam inde a colloquiis Frisingensibus a. 1991, recte si memini, habitis, quorum occasione te loquentem magno cum gaudio audivi. Quae pro Latinitate viva augenda fovendaque facere contendis, ea probanda esse ex animo censeo: nuper a 'Fundatione Melissa' librum "Fragrantia" inscriptum (una cum Glossario) emi, quem a te _ quantum e primis paginis lectis conicere valui _ mirum in modum in linguam Latinam conversum dixerim. Nuntios autem 'Leoninos' mittas, quaeso, etiam "Gregi Latine loquentium", cuius ego simplex calo sum et a quibusdam sodalibus, qui *solummodo* Latinitatem Ciceronianam et Caesarianam colendam atque imitandam esse putant, interdum vituperatus. Cumque tibi alia ac penitior sit quam mihi in rebus Latinis tractandis peritia ac doctrina, ut huius quoque Gregis contubernales de inceptis tuis iterum certiores facias te impense hortari ausim atque, nisi quod sum commendaturus iam feceris, ut hanc in sodalitem, quae varias ob causas laudanda est, tandem ingredi consilium capias. Gratias, et optime valeas.

Francus Bubenheim Germanus Iordaniensis.

... Quod spectat ad libellos, quos tu in Latinum vertisti et ad emptionem offers, ut confitear, textus audibiles, sicut Emissiones Audibiles et Apologi Grimmiani Societatis Latinae cum iisdem textibus typis impressis, mihi magis placent, vel, si illi textus Latini sunt versiones operum, quorum linguarum originalium peritus sum, cupio textus originales una cum versione Latina legere. In uno ex libellis commentariolorum Memento Audere Sempere ex. gr. tuam versionem Bertholdi Brecht "Nuptiarum Abderitanarum" legi, sed ea non ita bene fructus sum, cum textu Theodisco originale carerer et illum in interrete non invenirer, tum – si recte recordatus sum – adnotationibus glossariove prolixo instructa non esset. Deinde plurimi libelli a te editi viginti paginas non transcendunt, quod parvum mihi videtur pro singulo disco compacto.

Commentarioli NUNTII LEONINI mihi valde placent, et in animo habeo propediem tibi opinionem meam aperire et adnotationes scribere.

Scisne instrumentum computatralium cui nomen est "PureVoice" et quo ex. gr. vox humana inscribitur, et ista deinde per cursum electronicum epistulae audibilis modo mittitur? Hoc mihi res videtur ad Latine loquendum et audiendum utilis, ut Latinitas non modum in scribendo legendoque concludatur.

...

Haraldus Rimbach magister gymnasii Michelstadiensis

Haraldus domino Nicolao Grosso (Magno) s.p.d.

Dominus Wolter, collega meus, de oblatione natalicia sibi litteris electronicis a te missa, quae discos compactos recenter editos enumerat, certiore fecit. Qua oblatione delectatus aliquos discos compactos in eis litteris oblatos mandare velim, qui numero mandatulae, qui sequitur, indicantur:...

Estne tibi in animo praeter discos compactos textus fabularum ... in sermonem Latinum conversarum continentes etiam discos conficiendos curare, qui fabulas sermone vivo expressas nobis praebeant? Tale propositum utilissimum est, nam sermo auditus plus affert vivacitatis, melius linguam Latinam tradit memoriae et producit plures fructus. Enarratio textuum autem in discos transferendorum magni laboris esse mihi non videtur. Qua in re duae condiciones observandae sunt:



- a) ut pronuntiatio vere Latina sit (accentu aliorum, etiam theodisci, sermonum desumpto)
b) ne pretium discorum, qui venibunt, nimis augeatur. ...

Iuanus Barcinonensis

magno cum gaudio integrum legi Nuntium Leoninum, atque gratias maximas agere uolo tibi,

qui nuntios Latinos gratuitos per interrete exhibere audes, necnon Latinitatem uiam uberrimam facis tot fabulas et opera technica alibi uertendo. Parcus cum sim uerborum, nihil est quod addam, nisi tibi animos infundere ut perseueres, quoniam uiam nobis tironibus pandis excellentissimam.

PS: Sunt tamen nonnulla uerba quae intellegere nequiui, quamuis „Imaginum Vocabularium Latinum“ et „Calepinum Nouum“ perscrutarer (nam deest nobis Lexicon omnino idoneum, modernum, interretiale at gratuitum!). Potesne mihi auxilio esse?

- (1)Omnino me fugit quid sint "textus synusiologicus", "astynomi" et „feripeta“.

LEO LATINUS: "synusiologicus" spectat ad uerbum Graecum he synusia i.e. coitus uenerius. synusiologia est disciplina/doctrina coitus ueneri, quam magna cum subtilitate docuerunt Indi antiqui (notum est eorum opus, c.t. "Kamasutra"). "astynomus,-i m." secundum usum uerbi neograecum est uigil publicus superioris gradus (contra ac "astyphylax,-acis m.", qui est inferioris gradus). "feripeta,-ae m." est fur uel praedo uel fur bestiarum ferarum siluestrium (e.g. cervorum, capreorum, aprorum, etc.), qui illicite uenatur ideoque a saltuario non diligitur.

- (2)Quid interest inter "ministrationem interretialem" et "sedem interretialem"? An illud est quod Anglice Anglice "server", hoc quod Hispanice "portal"?

LEO LATINUS: "ministratio" est actio, "sedes" est institutum. "ministratio" est Anglice "service", "sedes" hoc loco est i.q. "site".

- (3)"fabula"ne idem est quam "fabula moderna" an haec tantum significat quod Anglice "novel"?

LEO LATINUS: "fabula moderna" est (generaliter) fabula, quae aetate moderna scripta est. i.q. Anglice dicitur "novel", Latine dico "fabulam romanicam"; nonnulli dicunt "mythistoriam" aut "fabulam romanciam"; quae mihi minus placent.

- (4) Qualis est "uinus adustus"?

LEO LATINUS: "uinum adustum" (neutri generis) est liquor maioris portionis alcoholici, e.g. vischium aut coniacum.

- (5)quid est "hyalum uini"? Poculumne uini (dumtaxat hyalo confectum)?

LEO LATINUS: "hyalus" est poculum vitreum, generaliter omne uas bibendi vitreum. „Hyalus uini" est hyalus, qui spectat ad uinum bibendum.



(6) nonne "fumaculum" est quod Anglice "pipe"?

LEO LATINUS: Recte dicis. Interdum dicitur etiam "pipa".

(7) quis sibi uult ospherologia? Idemne est ac "scientia fragrantiarum"?

LEO LATINUS: "osphreologia" est scientia vel doctrina/disciplina sensus olfactorii. Oosphreologi omnia investigant quae spectant ad nasum, non solum fragrantias, sed etiam foetores. Sed de odoribus difficile est iudicatu: id quod uni videtur esse foetor, alius habet pro fragrantia!

Stanislaus Tekieli Polonus editor „Ephemeridis“ diarii interretialis

...Bruxellis adfui, "Fragrantiam" vocabulariumque ei additum apud Melissam" emi, etiam dederunt mihi dono "Araneam nigram" (de qua nihil adhuc scivi). Legere coepi et... ita cogito: "Praelectore" finito, scilicet cum totum librum Latine reddas, quid prohibet quin vocabularia omnibus tuis libris addita in unum iungas, hoc modo "Vocabularium neologismorum Latinorum" Nicolai Gross faciens? Opus non est magnum - si adsunt tibi versiones electronicae "Vinitu", "Mynchusani", "Aranea" et "Fragrantii", ordine tantum litterarum omnia comparare debes. Postea res crescet cum novis libris a te translatis. Vocabularium tale libenter in pagina nostra ponemus, si licebit. Si malis fortasse in pagina Leonis, da saltem licentiam ut iunctionem ("link") faciamus. Quid de consilio meo censes? V.

LEO LATINUS

...valde gaudeo, quod legis libros meos et deliberas de glossariis conficiendis. Doleo autem, quod vocabularia illa, de quibus scribis, non iam teneo electronice condita. Ceterum quaerendum est, quomodo explicem vocabula indicata; in variis enim libris non semper eadem methodo usus sum. E.g. in Aranea, Mynchusano, Glossario vocabula plerumque explicavi verbis Latinis, sed in aliis indicibus attuli verba linguarum modernarum.

Scilicet me multum meditari de inceptis lexicographicis, sed non omnia eodem tempore perficere possum. Certe in animo habeo omnia mearum versionum vocabula rariora et recentiora colligere et collecta novo lexico mandare, sed oportet tale opus maius lente maturescat. Illa collectanea adhuc sunt nimis viridia. Sed luculenter me monuisti. Semper gaudeo de adnotationibus tuis mihi nuntiatis. Nam displicet semper solum in locis desertis vociferari nullamque echon audire.

Robertus Deprez Belga medicus

Discos Lunae die iam accepi, sed (iterum veniam da) non ante hodiernum diem paululum temporis habui, ut eos tranquille pervolverem. Maxime placent, praecipue ille de Sancto Nicolao, ... Felicem sollemnitatem Nativitatis Domini necnon faustissimum annum novum tibi exopto. ...



RESPONSUM LEONIS LATINI GENERALE

LEO LATINUS summas gratias agit pro omnibus epistulis perhumaniter scriptis. Quod attinet ad libros audibiles a compluribus lectoribus commendatos, hęc loco affirmamus nobis in animo esse mox fabricare tales discos compactos. Rogamus, ut patienter exspectetis...

**CARA LECTRIX, CARE LECTOR,
IN NATALE DOMINI ET ANNUM INEUNTEM
TIBI OPTIMA QUAEQUE EXOPTAMUS.
PANCRATICE VALE ET PERGE NOBIS FAVERE !
MEDULLITUS TE SALUTAT
LEO LATINUS.**

